



**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Si vera sunt, quæ supra diximus reperiri in hominibus habentibus
paſſionum dominium, videtur hoc dominium non differe à ligatione &
ablatione fomitis, qui in Christi D. Humanitate non fuit, & in B. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

nihil in eius animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur ut velle gaudere, cauere, negent nisi sapientem: stultum autem non nisi cupere latari, meliore contristari. Et illas tres esse constantias, has autem quatuor perturbaciones secundum Ciceronem, secundum plurimos autem, passiones. Græcè autem illa tres, sicut dixi, appellantur ἐπιπείθειαι, ista autem quatuor, πάθη.

Deinde pergit S. Augustinus impugnare hæc Stoicorum doctrinam, ostendendo ex sacrâ scripturâ illos affectus, quos solis sapientibus dicebant esse proprios, attribui etiam malis, & de contrario. Sed Cicero fusius enumerat, & ponit. ^{4. Tusc.} derat hos sapientum, & stultorum affectus. Qui verè non res, sed nomine differunt. Ideò merito S. Augustinus, & S. Thomas dixerunt, inter Peripateticos Platonice adiunctos, & inter Stoicos, magis de nomine, quàm de re fuisse distidium quoad passiones.

CAPVT VIGESIMVM.

De humanarum passionum Dominio.

^{178.} *S*ciendum est, illa que supra diximus, reperiri in hominibus habentibus passionum dominium, videtur hoc dominium non disferre à ligatione, & ablatione fomitus, qui in Christi Domini Humanitate non fuit, & in B. Virgine à Theologis asseritur fuisse ligatus, in eius primâ sanctificatione, quam accepit in utero S. Anne, & postea ablatum fuisse totaliter tunc, dum Christus Dominus in eâ incarnatus est, ut probabilius ^{179. q. 2. ad 1.} putat S. Thomas, quamuis alij etiam probabiliter existimant eum sublatum fuisse in primâ sanctificatione.

^{179. q. 2. ad 1.} *R*espondeo: Dominium passionum rem esse diuersam à ligatione, & ablatione fomitis, eaque inferiorem, & non ita præstantem. Quod ut intelligatur à Tironibus, ommissis controuersis, & subtilitatibus Theologicis, breuiter explicandum est, aptè ad captum illorum, quid sit fomes peccati, & quomodo ligatus fuerit in B. Virgine, in primâ eius sanctificatione, & quomodo postea totaliter ablatum, dum Christum conciperet in eius Incarnatione.

^{179. q. 2.} *S*ciendum ergo est, fomitem peccati in actu primo (ut loquuntur in scholis Theologi, & Philosophi) esse naturalem habituales inclinatione appetitus sensitui, in quantum est proxime disposita ad actus suos, scilicet ad motiones & affectus, circa objecta illicita, & rectæ rationi contraria, & rationem præuenientia, & ad peccatū trahentia, seu allicientia. In actu verò secundo fomitem, esse ipsam motionem, seu actum, & affectum talis inclinationis & concupiscentiæ. Et ita utroque modo acceptum fomitem describens S. Thomas ait: *Fomitem peccati, nil aliud esse quàm inordinatam concupiscentiam sensibilis appetitus in quantum repugnat rationi; inclinando ad malum, vel difficultatem faciendi in bono.*

Porro cum hæc inclinatio non sit appetitui

sensitui essentialis (essentia enim eius tantummodò consistit in hoc, ut feratur in obiectum sensibile, non autem ut feratur in obiectum sensibile illicitum seu contrarium rectæ rationi) ^{3. p. q. 15.} sed accidentalis, potest tolli illis modis, per quos ^{a. 2. & q. 27. a. 3. & a. 4. ad 1.} Theologi docent, sublatum fuisse à B. Virgine Maria, & in Christo non fuisse.

Hic fomes, qui aliter appellatur, concupiscentia, & lex membrorum repugnantium rationi, est effectus peccati originalis, ortus ex priuatione iustitiæ originalis in Adamo, quæ sensualitatem reddebat obedientem rationi. Dicitur autem fomes peccati, quia incitat ad peccatum, per motus contrarios rationi, qui ab eo procedunt, quemadmodum fomes materialis, facile ignem concipit, igni adiunctus.

^{179.} Sed in B. Virgine in primâ eius sanctificatione, dicitur à plerisque Theologis cum S. Thomas, fuisse tantum ligatus, non totaliter ablatum. Ligatus quidem ideò, tum quia per abundantem gratiam, & virtutes, quæ ei fuerunt collatæ, in primâ eius sanctificatione, fuit hæc naturalis concupiscentia, quasi consopita, & ligata, ne haberet effectum vllum in Virgine, per motum aliquem rectæ rationi contrarium: tum quia per Diuinam protectionem ac prouidentiam, sensualitas eius, seu appetitus sensituius, prohibebatur ab omni motu inordinato. ^{3. p. q. 27. a. 4. ad 1.} Poterat tamen tunc esse in sensualitate eius aliquis motus rationem præueniens, iudicio S. Thomæ.

Totaliter autè sublatus fuit tunc, cum Christum concepit in se incarnatum, quia tunc per maiorem gratiæ abundantiam, & virtutum altioris gradus, fuit illi collatum, ut ne quidem posset pati motus contrarios rectæ rationi, & præuenientes rationem, eo modo, quo in Adamo iustitia originalis, ab eo per peccatum perditâ, hoc ipsum præstabat. Quamquam aliqui docent, ab instanti cõceptionis immaculatæ extinctum fuisse in Maria fomitem peccati. ^{Al. 3. p. q. 9. in 2. a. 1. 5. & in 3. a. 1. & 2.} Alens, Scotus, Gabriel, Almainus, Marfilus, Corduba, Suarez, qui tradit hanc sententiam ferè esse omnium, qui immunitatem à peccati originali labe Mariæ adstruunt.

Ligatio ergo fomitis præstabat, ne fomes prodiret in actum secundum concupiscentiam inordinatam; subtractio verò totalis, præstabat, ne etiam posset prodire in actum secundum, uti in Christo prodire non potuit. Quâvis enim & in Christo, & in B. Virgine manserit appetitus sensituius seu ipsa naturalis potentia sensualitatis, ex se propensa in omnia objecta sensibilia, atque ad eò etiam in illa, quæ sunt contraria rationi, quia tamen fomes peccati, non quomodocunque est hæc potentia sensualitatis, siue appetitus sensituius, sed ut potest expedire & proxime tendere in ea etiâ objecta, quæ sunt rationi contraria, cum nec in Christo, nec in B. Virgine fuerit hæc facultas proxima tendendi in objecta sensibilia repugnantia rectæ rationi

(obstante singularissima gratia, & virtutibus eximiiis Christo, & B. Virgini, in gradu licet inferiori, infusus) ideo fomes peccati in iis non fuit, sicut nec in Adamo, dum haberet iustitiam originalem, beneficio iustitiae originalis, quae erat donum supernaturale, per modum habitus manens in intellectu, & in voluntate, & in appetitu sensitivo primorum parentum, efficiens hoc in eis, ut anima subiceretur Deo, & animae vires inferiores appetitus sensitivi, ac corporis membra plenè obedirent, & subderentur rationi, nec quicquam pati possent lascivi à causa extrinsecà.

180. Ex his patet dominium passionum, non esse tam præstans Dei donum respectu passionum, ut fuit iustitia originalis, & fomes peccati sublati, & ligatus; tum quia non adducit secum tantam efficaciam, & plenitudinem gratiae, & virtutum, quanta fuit in iustitiâ originali; tum quia non sequuntur tam præstantes effectus ex passionum dominio, ut sunt secuti ex iustitiâ originali in Adamo, & ligatione, ac extinctione totali fomitis in B. V. Maria.

Suat. t. 2. in 3. p. dif. 4. lect. 6. Quae tamen extinctio fomitis, non præstitit omnia illa, quae præstabat originalis iustitia respectu passionum. Quamvis enim B. V. Maria habuerit rationem Deo perfectissimè subiectâ; & appetitum sensitivum ac corpus rationi, absque vllâ discordiâ, tamen capax fuit tristitiæ, timoris, & doloris, & similibus affectionum, quae in statu originalis iustitiæ non erant, & corpus habuit passibile, & defatigabatur, & morti fuit subiectum, à quibus omnibus præservabatur Adamus, dum erat in illo statu.

181. Vnde sequitur, non requiri ad perfectum passionum dominium, ne homo sentiat tristitiam, & metum, & dolorem, dummodò sentiat sine peccato, & sine molestiâ, & vllâ inquietudine impediente rationem, & non circa omnia obiecta, quae antea excitabant similes affectus.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Esne idem dominium passionum, & mortificatio passionum?

182. Respondeo non esse idem: sed eo modo differre mortificationem passionum à dominio earundem, quo differt pugna cum hostibus, à victoriâ reportatâ ex hostibus; & abinde securâ subugatione, & subiectione hostium: seu, sicut differt peregrinatio, & via, à termino, ad quem quis progreditur; eo modo differt mortificatio passionum ab earundem dominio. Hoc enim acquiritur ordinariè (seclusis privilegiis raris, quae Deus aliquibus concedit) per multos, & heroicis actus mortificationis passionum, per quos homo se ipsum vincit, tum faciendò

ea, quae amor proprius refugit, tum omitteudo ea ad quae valde propendet.

183. Quod quidem etiam omnibus cordi esse debet, ramentum magis tironibus in vitâ spirituali. Idem cum S. Franciscus inchoasset vitâ spiritualis iter, teste S. Bonaventurâ, ipsius suggereretur spiritui, quod spiritualis mercatio à mundi contemptu summat initium, Christi que milita sit à sui ipsius victoriâ imhoanda. Sic inchoato spirituali itinere per victorias nostri, mortificationis amoris proprii, per passionum inordinatarum motus se prodentis, nunquam desistendum ab exercitio virtutum, quo acquiritur sensim passio domini. Nam, ut ait S. Ambrosius, Sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Vnde & in Evangelio Deus dicit: A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Et alibi: Querite regnum Dei, & ecce omnia praestibunt vobis. Non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus, & laborantibus pollicentur praemia, & labori merces parata est: qui (scilicet labor) licet non suavis ad gratiam, tamen fructuosus ad praemium est. Quod autem fuerit labor circa actus virtutum difficultiorum & heroicarum exercendarum maior, eò erit fructuosior, & citius per acquisitionem eximiarum virtutum pervenitur ad perfectum passionum dominium. Quia, ut idem S. Ambrosius alibi docet, Perfecta virtutes torum accipiunt gloria patrimonium, viciis & mediocribus vile aliquid aspergitur.

CAPVT VIGESIMVM SECYNDVM.

Esne idem dominium passionum, quod nostri abnegatio?

186. Respondeo esse res diversas, tum quia abnegatio nostri, est nobis à Christo imperata per modum praecipi, dominium autem passionum non item: tum quia abnegationis materia circa quam versatur, proprie sunt peccata proprie dicta, materia autem domini passionum, circa quam versatur, & se occupat, sunt passionum motus, qui non semper sunt peccata, sed possunt esse boni, & mali, prout quis illis virtutis imperio rationis ad bonum, vel malum.

187. Quod abnegatio nostri praecipua sit commendata omnibus per modum praecipi, patet, quia est à Christo omnibus proposita tanquam medium ad salutem; media autem salutis imperata sunt. Sic enim Lucae 9. 23. & Matthaei 16. 24. scriptum legimus: Dicebat autem ad omnes: si quis vult venire post me (id est salvari, & pervenire ad caelum) abneget semetipsum. Quo loco citato S. Thomas, probat abnegationem sui ipsius, esse de necessitate salutis, idque confirmat testimonio S. Gregorij paulò post asserendo. Vnde bene Gulielmus Estius explicans illud Lucae, Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire,